

Conversatio, núm. 15, 40. in tit. Correctio, núm. 25. 66. in tit. Detractio, núm. 17, 19. in tit. Doctrina, núm. 7, 8, 27, 28. in tit. Electio, Hæresis, núm. 2. in tit. Laus, núm. 30. in tit. Malitia, núm. 9. in tit. Nocumentum, núm. 5. in tit. Peccatum, núm. 34. in tit. Periculum, núm. 1. in tit. Prædicatio, núm. 1, 7. in tit. Prælatio, núm. 36. Sacerdos, núm. 21, 22.

FABULA.

1. Apud auctores sæcularium literarum ut apud Horatium, mus loquitur muri, et mustela vulpeculæ, ut per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax referatur significatio. Unde et Æsopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia: hæc et in sacris libris, ut in libro Judicum, quum ligna sibi regem fecerunt, et loquuntur ad ficum et ad vitem, quod totum fingitur: ficta quidem narratione, sed veraci significatione hæc dicuntur. *Aug. in lib. contra mendacium circa medium.*

2. Fabula etsi vim veritatis non habeat, lamen rationem habet, ut juxta eam possit veritas manifestari. Referunt, inquit, sæculares, virum quemdam fuisse, ut quoties beneficio virium suarum deslitutus, amicam et nutricem terram impulsu adversarii contigisset, de solo surgens magis in adversarium prævaleret, et sic occasio prostrati, occasio fiebat triumphi. Dabat infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Cui hæc conveniunt, nisi Christo, qui ad hoc cecidit, ut gloriosior resurgeret? *Ambr. lib. 5. de Offic.*

3. Fabulæ à fando dictæ: quia non sunt res factæ, sed tantummodo loquendo dictæ, quæ ideo sunt inductæ, ut ficto animalium motorum inter se colloquio, imago quædam vitæ hominum nasceretur. Sicut mus loquitur muri, mustella vulpeculæ, et in libro Judicum, lingua sibi regem requirunt. Quod totum ad mores ordinatur, ut ad rem, quæ intenditur, ficta quidem narratione, sed veraci significatione per-

veniatur. Sic enim Demosthenes usus est fabula adversus Philippum: qui ab Atheniensibus postulavit decem oratores, et ille finxit fabulam: Lupi suæerunt pastoribus, ut in amicitiam convenirent, cumque hoc pastoribus placuisset, petierunt lupi, ut primo sibi vice securitatis canes traderent, in quibus videbatur occasio jurgiorum: annuerunt pastores: et tunc lupi omni adempta formidine, omnem gregem non solum pro sacietate, sed etiam pro libidine laceraverunt. Sic, inquit, Philosophus, sublatis oratoribus in populo Atheniensium facturus est. Oratores populi postulat, quo facilius possit opprimere spoliata custodibus urbem. *Isid. lib. 2. etym.*

4. Æsopus, qui merito sapiens æstimatus est, utilia monita sua non severe, neque imperiose præcepit: sed, ut philosophis mos erat, salubriter ad perspicendum mentes animasque hominum causa audiendi quadam illecebra induxit. *Gell. lib. 2.*

5. Apulejus Aulus de Deo Socratis introducit fabulam Æsopi, de corvo tenente carnem in ore, cui dum duxisset vulpecula, quod cygno melius cantabat, et volens cantare amissit carnem de ore, ac potius crocitavit, quam cantavit, et sic suam defectionem publicavit: quod nullis accidit, qui volunt se magnificare, et ultra mensuram virium suarum ostentare. *Ibidem.*

6. In superficiali lyre cortice, falsum resonat fabula. Lyra enim fabula poetica, interiori vero auditoribus intelligentiæ secretum altioris eloquitur, ut exterioris falsitatis abjecto putamine, dulciorem nucleum veritatis secreta intus lector inveniat. *Alan. de complanctu natura.*

7. Fabulas existimo necessarias, non ex eadem causa qua poetis, sed ut imbecillitatis nostræ adminicula sint, et ut dicentem et audientem in rem præsentem adducant. *Incertus auctor.*

Vide etiam in tit. Doctrina, núm. 1, 10. in tit. Mendacium, núm. 4.

FAMA.

1. Cavete omnes suspensiones, et quicquid probabiliter fingi potest seu dici, ne fingatur, ante de vita. *Aug. lib. de conf.*

2. Sic doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam. *Aug. de doct. Christiana.*

3. Duo sunt tibi necessaria: scilicet conscientia et fama: conscientia propter te, fama propter proximum. Qui conscientia suae confidens famam negligit, crudelis est. *Aug. lib. de communi serm. cler.*

4. Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucunt auditoribus, nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri sacerdotis non commendatur. *Hier. super ill. Matth. 4. Abiit opinio ejus.*

5. * Fama virtutem reddit illustriorem, tametsi non majorem. *Bern. in Cant. serm. 17.*

6. Inclyti animi signum est, famam diligere commodum, et lucra causarum, nam qui affectat famam commoda, pecuniam negligit augmenta. *Cassio. lib. 1. epist.*

7. Regnantis facultas tunc fit ditior, quam remittit, et acquirit thesauros famam, neglecta utilitate pecuniae. *Cass. ibid.*

8. Nemo futurum putat diligentem, quem in ipsa novitate operationi suae non videt esse custodem. Providus institutor hortum suum fecundis nititur ornare plantariis, ut reddant fructus optatos, quae sollicitis fuerant exulta laboribus. *Ibidem.*

9. Ubique cognoscitur, quisquis fama teste laudatur, dum enim copia plurimum solet habere fastidium, bonum nomen repelitum semper efficitur gloriosum. *Cass. lib. 2. epist.*

10. Melius est de perpetua vita, quam de fama cogitare, nostra enim post mortem non opuscula, sed opera sunt pensanda, quia si aliquid agimus, nostrum est: siquid habemus, alienum est. *Ibidem.*

11. Quidam laudes hominum vilipendunt, et in hoc sunt laudabiles: quidam omni tempore venan-

tur famam saeculi, et omni tempore sunt infames: quidam apud alios venerabiles, apud se vilescunt: quidam plus se de linguae adulatrici, quam conscientiae suae credunt. *Pet. Rav. in quadam epist.*

12. Verae famae haec est gloriosa propretas, ut appetitores sui contemnat, appetat contemptores; famam fugiendo consequitur, quam perderet in consequendo. *Alan. de complanctis naturae.*

13. Plures saepe magnum nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt, quo quid turpius potest excogitari? *Boët. 5. de consolatione.*

14. Templum Dianae Ephesinae decus adeo magnificentum, quod Xerxes, cum omnia Asiatica templa igni daret, huic uni pepercit. Sed haec Xerxis clementia sacras aedes non diu a malo vendicavit: nam Herostatus, ut nomen memoriae sceleris extenderet, incendium fabricae nobilis, manu sua struxit. Requisite cur hoc fecisset, respondit, Voto adipiscendae famae latioris. *Solinus de mirabilibus mundi et situ terrar.*

15. Parem te Deo fama non faciet in populos dimissa vel diffusa notitia, nemo novit Deum: multi male de illo existimant et impune. *Senec. 51. epist.*

16. Male de te opinantur homines: bene autem loqui nesciunt: faciunt non quod merearis, sed quod solent ipsi homines de malis loqui, molestum si quid mentiuntur; sic in merito minimae innocentiae nunc maxime gaudeo. Apparet enim illos vera objecturos, si possent. *Senec. lib. de moribus.*

17. Male autem de te opinantur homines, sed mali. Moverer, si de me Marius, si Cato, si Laelius sapiens, si alter Cato, si Scipiones duo, ista loquerentur, moverer si hoc iudicio facerent, quod nunc morbo faciunt. *Senec. de remediis for.*

18. Bona opinio hominum tutior est pecunia. Bonum quod est, supprimitur, nequaquam extinguitur: bona fama in tenebris proprium splendorem tenet. *Ibidem.*

19. Damnum appellandum est, quum mala fama lustratur. Honestus rumor alterum est patrimonium.

Vis omnibus esse notus? prius effice, ut neminem noveris. *Senec. in prov.*

Vide etiam in tit. Conscientia, Conversatio, núm. 4. 5. in tit. Correctio, núm. 2, 21. in tit. Detractio, Discere, núm. 18. in tit. Exemplum, núm. 16. in tit. Gloria vana, núm. 21. in tit. Hæresis, núm. 2, 6. in tit. Prælatio, núm. 3, 10. in tit. Sacerdos, núm. 1, 10.

FAVOR.

1. Qui pro virtute, quam egit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. *Greg. lib. 8. moral.*

2. Valde perfectorum est, ostenso opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude, privata nesciant exultatione gaudere. *Greg. ibid.*

3. Non possumus simul pro uno et eodem opere favorem mundi expelere, et præmium vitæ cœlestis acquirere. *Maximus Episc. in quodam serm.*

4. Vehementer amor multitudinis movetur ipsa fama, et opinione liberalitatis, beneficentiæ, fidei, iustitiæ, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim idipsum quod honestum decorumque dicimus, animos omnium natura et specie sua commovet. *Tull. in lib. de Offic.*

5. Nunquam volui placere populo, nam quæ ego scio, non probat populus: quod probat populus, ego nescio. Quis enim placere potest, cui non placet virtus? Malis artibus popularis favor acquiritur. Similem te illis facias oportet, alioquin non probabunt, nisi agnoverint. *Senec. 28. epist.*

6. Multo autem magis ad rem pertinet qualis tibi videaris, quam qualis aliis. Si te intrante clamor et plausus obstreperint, si sceminae puerique laudaverint, quidni ego tui miserear cum sciam, quæ via ad istum favorem ducit? *Senec. ibid.*

7. Nunquam multis placeas, sed quamlibet stude. Maximum in eo vitium est, qui non vult melioribus placere, sed pluribus. *Senec. in epist.*

Vide etiam in tit. Adulatio et Covitium, núm. 11. in tit. Eloquentia, núm. 19. in tit. Exactio, núm. 3. in tit. Fraus, núm. 3, 4. in tit. Hospitalitas, núm. 9. in tit. Hypocrisis, núm. 3, 4. in tit. Laus, núm. 9, 12, 14, 16, 17. in tit. Prædicatio, núm. 8, 10. in tit. Veritas, núm. 11.

FIDES, SIVE FIDELITAS.

1. Fides appellata est ab eo, quod fit: duæ syllabæ sonant, quum dicitur fides, prima syllaba est à factò, secunda à Deo. Interrogo te ergo, utrum credas? dicis credo: fac quod dicis, et fides est. *Aug. in serm. 12.*

2. Mentis humanæ acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emendetur. *Aug. 1. de Trinit.*

3. * Fides electorum aut nunquam deficit, aut statim reparatur. *Aug. de Correp. et grat.*

4. Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major est substantia, quam est fides catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, cathecumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines et viduas et conjugales casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, in æterna hereditate cum sanctis Angelis collocat. *Aug. de verb. Dom.*

5. Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti, sed fidei. *Aug. in lib. de ovib.*

6. Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. Qui autem non credunt, peiores sunt, quam dæmones, et tardiores. *Aug. 10. de charitate.*

7. Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species, et tamen quicquid est in arbore pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit: sic ex fidei humilitate quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit. *Aug. super Joan.*

8. Quid est fides, nisi credere quod non vides? Unde et quomodo capitur Trinitas, recte, ò homo, interrogas, quomodo creditur, non bene interrogas: imo ideo bene creditur, quia cito non capitur, nam si cito caperetur, non esset opus ut crederetur, quia videretur. *Ibidem.*

9. Noli intelligere ut credas, sed crede ut intelligas; intellectus merces fidei est. *Ibidem.*

10. Quod oportet, lex minando imperat: quod fidei, lex credendo impetrat. *Aug. de spirit. et lit.*

11. O thesauris omnibus opulentior fides! ò virtutibus corporeis omnibus fides fortior, medicis omnibus saluator! *Ambr. lib. de virg.*

12. Aufer argumenta, ubi fides quæritur, in ipsis gymnasiis suis jam Dialectica taceat, piscatoribus creditur, non Dialecticis. *Ambr. de Trinit.*

13. Quid tibi fideles esse putas? quod aut pecuniæ oblatione, aut blanda locutione tibi æstimas obligatos? *Ambr. lib. 2. de offic.*

14. Cito fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit: assuetum autem bello virum besterna fraus instruit, et gloriosæ provehit palma victoriæ. Pax ergo fidei corruptelæ materia est. *Ambr. super Beati immaculati.*

15. Divina operatio si ratione comprehenditur non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *Greg. hom. 26. super Evang.*

16. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promissimus, operibus complemus. *Greg. ho. 26.*

17. Quid non invenit fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immania, apprehendit novissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumdedit. *Bern. super Cant.*

18. In his quæ fidei sunt omnino cavenda est confusio: ne aut incertum opinionis fides fingat: aut quod firmum fixumque est fidei, opinio revocet in ques-

tionem. Opinio enim si habeat assertionem, temeraria est, fides si habet hæitationem, infirma est. Intellectus si signa fidei tentet irrumpere, reputatur effractor, scrutator majestatis. *Bern. lib. de consid.*

19. Fides aliquando recipit, quod ratio non præsumit: qualis sit cujusque fides tribulatio probat. *Bern. de 12. gradi. humilitat.*

20. Sola fides, et mentis ad Deum conversio sine effusione sanguinis, et sine perfusione aquæ salutem sine dubio operatur volenti, sed non valenti, prohibente articulo baptizari. *Bern. in epist.*

21. Dicamus fidem vitem, virtutes palmites, hominum opus, devotionem vinum. *Bern. super Cant.*

22. Transgreditur enim fides fines rationis humanæ, naturæ usum, experientiæ terminos. *Bern. ser. 67.*

23. Non fidei sed perfidiæ, non confidentiæ sed diffidentiæ est, in semetipso habere fiduciam. *Bern. serm. 12.*

24. Is fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum: sed sic perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. *Bern. ibid.*

25. Qui fidelis fuerit in umbra memoriæ lucem præsentia sine dubio obtinebit. *Chrys. in quodam serm.*

26. Rei quæ videtur, facilis est fides, ejus autem quod nondum accepit principium, non facilis suscipitur credulitas. *Chrys. super Matth. c. 1.*

27. Quam magna magnorum fides est! non dicentes, si magnus est Puer hic quæ necessitas fugæ est, et occultæ recessionis? Hoc enim est veræ fidei, non quærere causas eorum, quæ verè præcipiuntur, sed suaderi solum ab eis. *Chrys. super Matth. c. 2.*

28. Lapis quidem durus est, sed quum factum fuerit de eo opus, desistere nescit, sic et gentiles cum difficultate credunt, et tamen credentes in æternum permanent in fide. *Chrys. super illud Matth. 3. Potens est dominus de lapid. istis.*

29. Sicut semper discere signum est nunquam pos-

se perficere, sic testimonium semper quærere, signum est nunquam velle credere. *Chrys. super illud Matth. 12. Volumus à te signum videre.*

30. Una est veritas, et non partita; et sicut qui margaritam habet, ipse novit quantum dives est, et tamen multis potest esse non cognitus: ita et qui fidei veritatem detinent, noscunt quod divites sunt, infideles autem thesaurum nescientes hunc, divitias nostras ignorant. *Chrys. super illud Matth. 13. Inventa una pretiosa.*

31. Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ: quia quantumcumque pluviam susceperit non fructificat. *Chrys. ibid.*

32. Talis est natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur. Virtus fidei, in periculis secura est, in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic laxat vigorem fidei, sicut longa tranquillitas? *Chrys. super illud Matth. 20. At illi magis clamabant.*

33. Fides religionis catholicæ, lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. *Chrys. super symbol.*

34. Fides lampas est, quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam. *Chrys. super Matth. 21.*

35. Ecce quid à te requirat immensa illa pietas, quod facile possit implere nuda paupertas, despecta mediocritas, indocta simplicitas, non permultas distraharis ambages, ne duris difficultatibus occupandis involvaris. Quod à te et pro te reposcitur, intra te est, id est, oris famulatus, et cordis affectus, secundum illud: *corde creditur, etc.* In anima ergo tua reposuit omnia animæ tuæ præsidia Deus tuus: ut unde peccatum egreditur, inde et peccati medicina peteretur. *Chrys. ibid.*

36. Fides est voluntaria certitudo absentium supra opinionem, et infra scientiam constituta. *Hugo.*

37. Utinam attenderent Judæi, utinam attenderent Pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad divinum iudicium poterimus accedere. Nonne cum omni fiducia Deo dicere poterimus, Domine,

si error est, à teipso decepti sumus? Nam ista tantis signis, et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ non nisi per te, fieri possunt, et certe à summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, cum summa et authentica attestatione probata, te ipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Ricard. lib. 1. de Trinit.*

38. Tantum crescit calor fidei, quantum subtractum fuerit de flamma corporali. *Cass. super ill. Psal. Quia factus sum sicut uter in pruina.*

39. Totum in se habet homo, qui se habet: ipse autem se habet, qui Deum habet. Deum vero habet, qui eum credit, et confitetur auctorem. *Pet. Rav. in quodam serm.*

40. Fides est perceptio veritatis rerum, cum assertionem, sine causarum cognitione. *Tull. lib. 2. Rhet.*

41. Fides sanctissimum humani pectoris bonum est: nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Ure, inquit, cæde, occide, non perdam: sed quo magis secreta dolor quæreret, hæc illa altius condet.

42. Malo mihi successum deesse, quam fidem, etiam hosti est æquus, qui habet in consilio, fidem. Fidem qui perdit, nil potest ultra perdere. Fides una-nima unde abiit, nunquam rediit. Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet. *Senec. in prov.*

43. Viri boni est etiam non pollicitam fidem servari maximum majoribus nostris telum, fidem fuisse, ex quo plures pace susceptæ, quam bello gentes fuerint devictæ, noscens fit, ubi succumbit fides, sive veritas. *Cato.*

Vide etiam in tit. Caritas, núm. 27. in tit. Doctrina, núm. 27. in tit. Eleemosyna, núm. 50. in tit. Eucharistia, núm. 2. in tit. Gloria æterna, núm. 41. in tit. Hæresis, núm. 5. in tit. Lex, núm. 1. in tit. Prædicalio, núm. 2, 5. in tit. Resurrectio, núm. 14. in tit. Salus, núm. 4. in tit. Scriptura, núm. 12. in tit. Spes, núm. 1, 4, 15. in tit. Suspicio, núm. 5.

FORTITUDO.

1. Qui vera virtute fortis est, nec temerè audeat, nec inconsulte timet. *Aug. in epist. ad Hier.*
2. Nemo est, qui non magis dolorem fugiat, quam affectat voluptatem, quando quidem videmus immanissimas bestias à maximis voluptatibus exterreri dolorum metu, contra quæ firmiter stat fortis. *August. lib. 85. quest.*
3. * Fortitudo atque constantia, via regia est, à qua declinat ad dexteram qui temerarius est et pertinax: ad sinistram qui formidolosus est et timidus. *Aug. in Orig. super Isa.*
4. * Hæc est vera fortitudo, quæ naturæ usum, sexus infirmitatem, mentis devotione transgreditur. *Aug. de vid.*
5. Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, et justitiam custodit: quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decertat, invicta ad labores, foris ad pericula, rigidior adversus voluptates, ut avaritiam fugiat, tanquam labem quandam, quæ virtutem effeminat. *Ambr. lib. 4. de offi.*
6. *Stultus, ut luna mutatur.* Sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Ubi enim sapientia, ubi virtus est, ibi constantia et fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec ut parvulus fluctuat, ut circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo fundatus charitate, radicans fide. *Ambr. in epist. ad Simplic.*
7. In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo, ut exteriora corporis pro minimis habeat, et quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat: secundo, ut ea, quæ summa sunt, omnesque res, in quibus est honestas, præclara animi intentione usque ad effectum prosequatur. *Ambros. lib. 4. de Offi.*

8. Justi et fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari: sed in utroque esse moderatus. *Hier. super Joel.*
9. Fortitudo corporis est imbecillitas animæ, et rursum imbecillitas corporis, est fortitudo animæ. *Hier. super Amos lib. 2.*
10. Per bonam et malam famam à dextris et sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, nec divitiis tumet, nec confunditur paupertate, et læta contemnit, et tristia. *Hieron. in epist.*
11. Fortitudo atque constantia via regia est, à qua declinat ad dexteram, qui temerarius est et pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est et pavidus. *Hier. in Orig. super Isaiam.*
12. Tanto enim unusquisque ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat: nam minus in se convaluit, quem iniquitas aliena sternit, qui in eo conferre contrarietatem non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus jacet. *Greg. lib. 5. moral.*
13. Fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur: quia quo plus se posse conspicit, eò virtus, sine moderamine rationis deterius in præceps ruil. *Greg. ibid.*
14. Fortitudo justorum est, carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. *Greg. l. 8. moral.*
15. Reproborum fortitudo est transitoria sine cessatione diligere: contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium, nec ex adversitate quiescere, ad inanem gloriam etiam vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semelipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine ullo desiderii defectu perpetrare. *Ibidem.*

16. Nonnunquam culpa fortium occasio virtutis fit, et virtus infirmorum occasio peccati. Sicut influente aqua paulatim consumitur terra, sic leviter surrepente vitio, mens etiam fortis absorbetur. *Greg. ibid.*

17. Fortes facti sunt sancti: carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cœlestia appetunt, occidi possunt, flecti autem nequeunt: nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi unquam à veritate conticescunt. *Greg. in quadam hom.*

18. Bonus circuitus est, si iustitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet, ut sit iustitia in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in usu. *Bern. in lib. de consider.*

19. * Non est vir fortis cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. *Bern. in epist.*

20. Sicut continens vita, labor, perseverantia, et agonom certamina faciunt unumquemque virum virtutis appellari: sic econtrario, vita remissa, negligens, et ignara, facit virum ignavum judicari. *Orig. super lib. Numer. com. 25.*

21. Vir vocatur à viribus, qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se jaclare: sed animo stabili defixus, et cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus. *Cass. super Psalm. 1. Beatus vir.*

22. * Viri fortes semper in pace modesti sunt: et iustitiam nimis diligunt, qui frequenter pericula tralaverunt. *Cass. lib. epist.*

23. * Fortitudo si nulla necessitate cogente, aut non pro causa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertitur. *Lact. c. 46.*

24. * Fortitudo est virtus pugnans pro æquitate. *Tull. 4. offic.*

25. * Fortes et magnanimi habendi sunt, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam. *Ibidem.*

26. * Est viri quidem fortis ne supplicii quidem moveri, ut fortiter fecisse pœniteat. *Ibidem.*

27. Fortitudo, cum ad aspera ineunda primum faciat, potius communem utilitatem quam sua commoda attendit. Sicut enim scientia remota iustitia, calliditas potius, quam sapientia appellanda est: sic animus ad periculum paratus, si sua cupiditate, non communi utilitate impellitur, temeritatis potius nomen habet, quam fortitudinis. *Tull. in Rhet.*

28. Fortitudo est immobilis inter adversa, gloriosa animi claritudo, res arduas pulchre administrans, quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur. *Tull. ibid.*

29. Constantia est inter fluctuantes causas et personas, nulla mentis concuti trepidatione. *Ibidem.*

30. Fortis et compositus animus est, qui nec ablatum quicquam sibi sentit, nec abjectum: sed in eodem habitu stat, quocumque res cadunt sive geruntur: vulgaris bona supra res suas eminent: sine aliquid ex istis, vel omnia, casus excusserit, minor non fit. *Sen. 67. epist.*

31. Quæris an omne bonum optabile sit. Si bonum est, inquis, fortiter torqueri et magno animo uti, et patienter ægrotare, sequitur, ut ista optabilia sint, distingue. Tormenta à me abesse vellem, sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honeste, animose geram, optabo. Velim non incidere in bellum. Sed si incido, et vulnera et famem, et omnia quæ bellorum necessitas adfert, generose feram, optabo. Itaque non incommoda optabilia sunt: sed virtus, qua perferuntur incommoda. Non pati tormenta optabile est, sed fortiter pati. *Senec. 68. epist.*

32. Quemadmodum hostis est perniciosior fugientibus: sic omne fortuitum incommodum magis insalcedenti et adverso. Parata tibi est pax, si in aliquo certamine debellata fortuna est: corpus convalescunt tenet, non animum. *Senec. 79. epist.*

33. Fortes quidam, et paratissimi fundere sanguinem suum, alienum videre non possunt. Alii gladium facilius recipiunt quam vident. *Senec. 57. epist.*

Vide etiam in tit. Bellum, num. 11. in. tit. Con-

silium, núm. 9. in tit. Devotio, núm. 4. in tit. Instabilitas, núm. 4. in tit. Magnanimitas, Mors, num. 3, 17. in tit. Perseverantia, núm. 6. in tit. Prudentia, núm. 13, 23. in tit. Sapientia, núm. 1, 23. in tit. Timor et Tribulatio, núm. 12, 23. in tit. Virtus, núm. 1, 5.

FRATERNITAS.

1. Vera fraternitas est, quæ fratrem veneratur devotum, corripit disolutum: quæ præsentem obsequitur, absentem non rodit, sano applaudit, infirmum non deserit, placatum non provocat, iratum ut majorem metuit. *Rab. super Matth. ul. cap.*

2. Hæc est vera fraternitas, quæ nullis unquam casibus scinditur, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed nec mors quidem ipsa divellit. *In collationibus patrum et est abbatis Joseph.*

3. Hæc est vera indirupta fraternitas, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concrevit: cuius semel inilum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum. *Ibid.*

4. Nihil prodest, si moribus ac proposito dissidentes, una habitatione jungantur. Nec obest parili virtute fundatis, per locorum intervalla disjungi. Apud Deum namque morum cohabitatio, non locorum unitas fratres habitatione conjungit, nec potest unquam pacis integritas custodiri, ubi voluntatum diversitas invenitur. *Ibidem.*

5. Hujus primum fundamentum est, substantiam mundialem in contemptu habere, injustum enim atque impium est, si post abrenuntiatam mundi et omnium, quæ in eo sunt, unitatem: pretiosissimæ dilectioni fratris supellex vilissima, quæ superfluit, præferatur. Secundum est, ut unusquisque ita suas reserret voluntates, ne se sapientem atque consultum esse judicans, suis malit, quam fratris diffinitionibus obedire. Tertium est, ut sciat omnia etiam, quæ utilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis et pa-

cis. Quartum est, ut credat nec justis nec injustis de causis penitus irascendum. Quintum, ut adversus se iracundiam fratris etiam sine ratione conceptam, eo modo quo suam curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si adversus alium ipse moveatur, nisi eam, quantum in se est, de fratris etiam mente depulerit. *Ibidem.*

6. Fratræ egestati impendendum quicquid ultra vitæ necessitatem habemus. *Basil. in sum. mor.*

Vide etiam in tit. Exemplum, núm. 15. in tit. Humilitas, núm. 9, 10, 32. in tit. Obedientia, núm. 16, 17. in tit. Pax, núm. 23. in tit. Societas.

FRAUS ET DOLUS.

1. Fallacia est, per quam moribus deceptoris veritas palliata, vel odium alterius vel proprium commodum intendit. *Aug. de diffn.*

2. Venena non dantur, nisi melle circumlita, et vitia non decipiunt, nisi sub specie, umbraque virtutum. *Ambro. in lib. de vir.*

3. Sciendum quoque est, quod tribus modis fraus ipsa committitur, quia per hanc proculdubio, aut tacita cordis humani gratia, aut fervoris avaritia, aut res quælibet exterior desideratur. *Greg. 9. moral.*

4. Solus in Dei opere fraudem non facit, qui quum ad studia bonæ actionis invigila, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani judicii gratiam anhelat. *Greg. ibid.*

5. Dolosus adversarius ferire simul nititur, et aperte sæviens, et insidiose latens, ut dum occulto sagitta metoitur, minus ante faciem hasta timeatur: vel dum ante faciem hastæ resistitur, nequaquam ex occulto veniens sagitta videatur. *Greg. in moral.*

6. Verba instituta sunt propterea ut non se invicem homines fallant, sed ut ad alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat: verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. *Ibidem.*

7. Diuturna fraudatio, tædiorum est nutritrix, suspicionis fomes, impatientiæ fax, noverca amoris, desperationis mater. *Bern. super Cant.*

8. Facilior cautio est, ubi manifesta est formido: et ad certamen minus tunc præstiloitur, quando se adversarius confitetur: plus timendus est et cavendus inimicus, quum latenter surrepit, quam cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit: unde et nomen serpentis accepit. *Cypr. in epist.*

9. Dolus est, quum aliud agitur, et aliud simulatur. Callidus est, qui exitum virtutis dolo ac fraude imitatur. *Isid. in synon.*

10. Quidam simpliciter vivunt, et in omnibus prosperantur: quidam versantur in dolis, et eis quælibet adversantur. *Pet. Rav. in quadam epist.*

11. Insuperatum bonum est, si is, ad quem deceptionis pertinet periculum, sibi gratiæ procuret augmentum. Jus enim exigit, sagittas fraudis redire in dolosum verticem sagittantis. *Cass. lib. 5. epist.*

12. Occultum et insidiosum malum perfidia, cujus efficacissimæ vires sunt, mentiri et fallere. Fructus in aliquo admissio scelere consistit: qui mendaciis et fallacia quasi præclaris artibus gaudet. *Val. Max. lib. 9.*

13. Fraus est, accipere, quod non possis reddere. Repelli se homines facilius, quam decipi ferunt. *Senec. in prov.*

14. Sunt homines qui rationem bono consilio à diis immortalibus datam, in fraudem, malitiamque convertunt. *Tull. 5. de nat. deor.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 63. in tit. Discretio, núm. 7. in tit. Doctrina, núm. 61. in tit. Hypocrisis, núm. 32, 38, 40, 46. in tit. Mendacium, núm. 14. in tit. Mercatio et Simplicitas, núm. 1. in tit. Suspicio, núm. 4. in tit. Tentatio, núm. 19, 20. in tit. Veritas, núm. 12.

GAUDIUM.

1. Est gaudium, quod non datur impiis, sed eis,

qui te gratis colunt: quorum gaudium tu ipse es: et ipsa est beata vita, gaudere de te, propter te, ipsa est, et non est altera. *Aug. lib. 9. confes.*

2. Temporalibus gaudent qui bona æterna non norunt desiderare. *Aug. super Psal. 52.*

3. Comparemus gaudia veritatis cum gaudio unitatis, et si honoremus doleamus: si dolemus, oramus: si oramus, exaudiamur: si exaudimur, et illos lucratur. *Aug. super Joan.*

4. Inepta lætitia dicit, ut quid animi gaudium intus abscondis? Ingredere in publicum lætus, dic aliquid foris, unde vel tu vel proximi rideant, fac eos lætos tua lætitia. *Aug. de conflictu vitiorum.*

5. Animi lætitia interdum corporis dolores mitigat, quod si ad ægrotationem corporis accedat ægrotatio animi, duplicatur infirmitas. *Hier. super Isaiam.*

6. Dignum est itaque ut in se semper homo mœrorem inveniat, qui derelicto creatore gaudium in se quærebat. *Greg. 12. moral.*

7. Jure restat, ut quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. *Greg. in moral. ibid.*

8. Fit plerumque, ut in ipsis piis fletibus illa interim gaudii claritas erumpat, et mens quæ in corpore prius cæca jacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspiriis vegetata convalescat. *Ibidem.*

9. Nonnunquam quicquid gaudii, quicquid virtutis favere videbatur, subito in pavore tentationis amittitur, et quasi vacuaturus eisdem virtutibus tristis animus solo mœrore possidetur. *Ibidem.*

10. Jubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: et tamen quibusdam proditur moribus, quamvis nullis proprietatibus exprimitur. *Greg. 24. moral.*

11. Jubilatio dicitur, quum cordis lætitia oris efficacia non expletur, sed quibusdam modis gaudium prodit, quod ipse, qui gaudet, nec regere prævalet, nec explere. *Greg. lib. 28. moral.*

12. Solet lætitia arcana mentis aperire, atque aperiendo amittere: adversa vero quum nos exterius deprimunt, interius cautiore reddunt. *Ibidem.*

13. Illud est verum ac summum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, quod quum acceperis, nemo tollet à te, cui aliunde comparata omnis jucunditas mæror est: omnis suavitas dolor est: omne dulce amarum est: omne decorum sædum est: omne postremo, quod delectare potest, molestum est. *Bern. in quodam serm.*

14. * Gaudendum est de iis, quæ expectamus, et gaudendum de iis, quæ suslinemus. *Bern. de ve. Apo. serm. 2.*

15. * Gaudendum in bono alieno magno magis, quam in proprio parvo. *Bern. in Cant. serm. 49.*

16. * Gaudium in materia convertibili mutari necesse est re mutata. *Bern. de fal. præb. vita.*

17. * Gaudium solummodo verum est, quod de creatore concipitur. *Bern. in epist.*

18. Verum gaudium non possidetur, nisi pax et justitia teneatur. Prima enim est, et quasi radix justitia, secunda pax, tertia gaudium. De justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. *Cæsar. in admonit. 2.*

19. Mensura lætitiæ de magnitudine nuntii venit, et tanta sit alacritas animi, quanta fuerit consideratio rei. *Cass. lib. 1. epist.*

20. Bonum insolitum plus amatur, et sequenti gaudio confert dulcedinem temporum præmissa tristitia. *Ibidem.*

21. Discimus nos magnum gaudium ex illius consolatui, quod non est gaudium, sed ut sæpe initium futuræ tristitiæ. Gaudio enim junctum est, non desinere, nec in contrarium verli. Omnes tendunt ad gaudium: sed unde stabile et magnum consequantur ignorant. Ille ex conviviis et luxuria: ille ex ambitione et circumfusa clientum turba: ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, et nihil sonantibus literis: omnes istos oblectamenta fal-

lacia et brevia decipiunt, sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat. *Senec. 67. epist.*

22. Malum alienum, tuum ne feceris gaudium. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 13. in tit. Judex, núm. 18.

GLORIA BONA.

1. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. *Aug. lib. de difin.*

2. Poritatis intimæ bono gloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecus gloriari perfecte respuerit, nec enim pure valet Dei, vel proximi quærere luera, qui propria non contempserit. *Bern. in epist.*

3. Si gloriari cupis, gloriam despice, et omnibus eris gloriosior. *Chrys. ho. 4.*

4. Magna est ejus gloria, quæ nullis laudibus crescit, et nullius vituperatione minuitur. *Cass. in quadam epist.*

5. Gloria est alicujus magnifici, vel bonæ artis clare patens præconium, et (ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur) secundam vitam dat gloria. *Tullius.*

6. Si quis, dum ad gloriam assequendam laborat, talem se efficiat, qualis vult haberi: quod si ostentatione inani et ficto sermone vel vultu, stabilem se gloriam assequi opinatur, vehementer errat. Vera enim gloria radices agit: ficta autem omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, neque imulatum quicquam potest esse diuturnum. *Ibidem.*

7. Expedita et compendiaria via eos ad gloriam pervenire Socrates dicebat, qui id agerent, ut quales videri vellent, tales etiam essent. Qua quidem prædicatione aperte monebat, ut homines potius ipsam virtutem haurirent, quam umbram ejus consecarentur. *Val. Max. lib. 7. c. 2.*

8. Paterna namque gloria nos reddit inglorios,

quum ab ejus vestigiis dissimilitudine resiliamus. *Senec.*

9. Heul quam difficilis gloriæ custodia est. *Senec. in Proverb.*

Vide etiam in tit. Contemptus, núm. 11. in tit. Humilitas, núm. 3.

GLORIA MALA, SIVE VANA.

1. Sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanus gloriatur: non enim eam contemnit, dum gloriatur intus de gloria, quam amplexatur. *Aug. lib. confess.*

2. Qui bene didicit, vel expertus est viliorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ: vel solum, vel maxime cavendum esse perfectis: quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. *Aug. super Psal. 7.*

3. Inanis gloria hujus sæculi, fallax est suavitas, et infructuosus labor, et perpetuus timor, et periculosa sublimitas: initium sine providentia, finis cum præsententia. *Aug. super Psal. 149.*

4. Inanis gloria dixit: age bonum quod vales: ostende bonum cunctis quod agis: ut bonus à cunctis dicaris, ut sanctus et venerabilis ab hominibus prædiceris, ut Dei electus voceris, ut nemo te despiciat, sed universi debitum tibi honorem persolvant. *Aug. de conflic. vit.*

5. Non est tanti gaudii excelsa tenere, quanti mæroris est de excelsis corruere: nec tantam gloriam sequi post victoriam, quantum ignominiam post ruina. *Ambr. in suo pasto.*

6. Gloria inanis, est inordinatus animi motus, quo aliquis propriam desiderat excellentiam, ut alios honore præcellat. *Hier. in quadam epist.*

7. Ne nimis religiosus velis videri, nec plus humilis, quam necesse est: gloriam fugiendo non quæras. *Hier. ad Nepot.*

8. Sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur. *Greg. lib. 20. moral.*

9. Qui ante oculos hominum gloriam sequendo, eam apprehendere non possunt, student plerumque gloriam tenere fugiendo. Nonnulli præsentem gloriam amantes, assequi non possunt: quia despicientes sequuntur. *Greg. in moral.*

10. Tanto ad volandum latius patet fovea, quanto de semelipsa elatius gloriatur vita. *Greg. ibid.*

11. Quum bene vivitur, valde timendum est, ne mens despectis cæteris de gloria singularitatis elevetur. *Greg. lib. 6. moral.*

12. Non parva condemnatio est, ex eo bono, quod communiter datur, gloriari privatim. *Greg. in moral.*

13. Time sagittam, leviter volat, leviter penetrat: sed dico tibi, non leve infligit vulnus, cito interficit: nimirum sagitta hæc vana gloria est. *Bern. in serm.*

14. Non bonæ, sed pax hominibus bonæ voluntatis: iniquus est qui nequaquam pace contentus, superbo oculo et insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam, nec pacem inde retinens, nec gloriam apprehendens: nec laus calami est laudabilis in scriptura, nec gloria linguæ, aut laborum sermo bonus. *Bern. super cant.*

15. Non recti plane, sed perversi animi est, quærere gloriam, et non exercere virtutem, et velle coronari, qui legitime non certaverit. *Bern. in serm.*

16. Virtus mater gloriæ est: sola enim est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Quæ autem est sine virtute gloria, profecto indebitè gloria venit, propere affectatur, periculose captatur. *Ibidem.*

17. Qui omnium pecuniarum contemptum habent, et nulli imaginationi tollis mundi se immiscuerint, et tyrannicas corporum concupiscentias sustinuerint, hi multoties capti à vana gloria omnia perdiderunt. *Chrys. super Joan.*

18. *Vanitas vanitatum, etc.* Hunc versiculum si saperent, qui in potentia versantur; in parietibus omnibus et in vestibus suis scriberent, in foro, in domo, in januis, in ingressibus, et ante omnia in conscientiis suis, ut semper eum oculis cernerent, et corde sentirent. *Chrys. ho. 5.*

19. Tuba est omnis actus vel sermo, per quam ipsa operis jactantia designatur: tuba ergo canere est, pompam vanæ laudis appetere. *Chrys. super ill. Matth. Noli tuba canere.*

20. Nihil enim ita pecunias concupiscere facit, ut gloriæ cupido: propter hoc namque famulorum greges, equos auro operlos, et argenteas mensas expectant homines, non ut utilitatem aut voluptatem impleant, sed ut multis ostendantur. *Chrys. super Matth.*

21. Dicebant apud se: Si bene fecerimus cum pauperibus, quis non videt? et si viderint, non multi vident, et si multi vident, pro tempore vident, transit tempus, et cum tempore beneficii memoria. Melius est ergo ædificia facere, quæ adspiciant homines non in hoc tempore solum, sed etiam in posterum. O insipiens! quid tibi prodest ista memoria, si ubi es, torqueris: et ubi non es, laudaris? *Ibid.*

22. Quisquis ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extoli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsam vitiorum jacebat. *Isid. lib. 1. de sum. bono.*

23. Dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit nisi cineres et vermes. Attende diligenter quid sunt vel fuerunt homines, fuerunt sicut tu: comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, et illic anima ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati sempiternis involuantur incendiis: qui socii fuerunt in viliis, socii fuerunt in pœnis. Una namque pœna implicat, quos unus amor in crimine ligat. *Hug. 1. de anim.*

24. * Insipiens, quid tibi prodest vanæ gloriæ memoria, si ubi es, torqueris: ubi non es, laudaris. *Ibidem.*

25. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, et plenæ divitiæ, magna familia et mala concupiscentia? ubi risus? ubi jocus? ubi jactantia? ubi arrogantia? De tanta læti-

tia, quanta tristitia, post tantam voluptatem, tam gravis miseria. De illa exultatione ceciderunt in magnam ruinam, et magna tormenta. Quicquid illis accidit, tibi accidere potest, quia homo es: homo de humo, limus de limo: de terra es, de terra vivis, et in terram reverteris, quando veniet dies ultima, quæ subito venit, et forsitan hodie erit: certum est, quia morieris, sed incertum, quando, aut quomodo, vel ubi: quoniam mors ubique te expectat: tu quoque si sapiens fueris, ubique eam expectabis. *Ibid.*

26. Divitias siquidem et honores sollicitudo inseparabiliter comitatur: pompa mundi et favor populi sumus est, et aura subito evanescens, quæ si plerumque placent, pœnitundinem inducunt, et si delectant ad modicum, productiore spatio displicebunt. *Pet. Rav. in quodam serm.*

27. Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur, quæ etiam a claris viris interdum ex humillimis rebus petitur. Cæterum gloria ab his quidem, qui contemptum ejus inducere conantur, non negligitur: quoniam quidem ipsis voluminibus nomina sua diligenter adjiciunt: ut quod professione negant, usurpatione memoriæ assequantur. Est enim gloriæ vanæ magnus appetitor qui se à gloriæ abfuisse gloriatur. *Val. Max. lib. 8. de memor.*

28. Vanitas est, quæ nec pulchritudinem confert, nec fructum laboranti, nec fulcimentum innitenti. *Hug. lib. de vanitate mundi.*

29. Gloria, quam fallax sæpe, quam turpis est, non injuria tragicus exclamat: Gloria in millibus mortalium nihil aliud est, quam aurium inflatio magna. *Boët. de consolat.*

30. Sic rerum versa conditio est, ut demum merito rationis animal, non aliter sibi splendere, nisi inanis suppellectilis possessione videatur. *Boët. 2. de consolat.*

31. Gloriam a Deo immoderato quærimus affectu, quod boni magis videri, quam esse, mali autem esse, quam videri, volumus: unde Poëta: Falsus ho-

nor juvat, et mendax infamia terret. *Tullius.*

32. Qui sordido vehiculo erubescit, prætioso gloriabitur. Quid ad rem pertinent mulæ saginatae? quid ista vehicula cæлата? quid phaleræ deauratæ? quid monilia demissa pectoribus? Ista nec dominum possunt facere meliorem nec mulam. *Senec. 88. epist.*

33. O quantum erat sæculi decus, Catonem uno caballo esse contentum, et ne toto quidem! partem enim sarcinæ ab utroque latere dependentes occupant. O quam cuperem illi nunc aliquam occurrere ex his trusullis in via, et multum ante se pulveris agitantibus. *Senec. ibid.*

34. Quæris qualis mensa, qualis argento, quam paribus ministris, et levibus afferatur cibus: nil præler cibum natura desiderat. Numquid tibi quum fauces urit sitis, aurea quæris pocula? ambitiosa non est fames, contenta est desinere, quo desinat, non nimis curat. *Ibidem.*

35. Numquid fortis se fortem gloriabitur, quem corporis ægritudo efficit infirmum? *Senec. de mor.*

36. Numquid dives in opibus suis gloriatur, cujus spem fur vel tyrannus arripuit? *Ibidem.*

37. Numquid nobilitas gloriabitur, effecta nonnunquam indignis et miserabilioribus serviens. *Ibidem.*

38. Cito ignominia fit superbi gloria. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Ambitio et Caro, núm. 27. in tit. Consideratio, núm. 1. in tit. Curiositas, núm. 23. in tit. Divitiæ, núm. 30, 32, 46. in tit. Eleemosyna, núm. 39, 45. in tit. Favor, et Gaudium, núm. 21. in tit. Gloria bona, núm. 2, 6, 7. in tit. Honor, núm. 27. in tit. Hypocrisis, núm. 35. in tit. Laus, núm. 38. in tit. Mors, núm. 26. in tit. Mundus et Prosperitas, núm. 14, 21. in tit. Solicitudine, núm. 18. in tit. Tempus, núm. 13. in tit. Vita, núm. 6.

GLORIA ÆTERNA.

1. Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta est jucunditas lucis eternæ, hoc est incommutabilis sapientiæ,

ut etiamsi non liceret in ea amplius manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia bonorum temporalium, recte meritoque contemnerentur. *Aug. lib. de moribus.*

2. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiel ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab alio quispiam patietur: præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum: quo melius et majus nihil posse esse promisit. Quid est enim aliud, quam quod per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs:* ubi ego ero, unde salientur, ego ero quæcumque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait Apostolus. *Ut sit Deus omnia in omnibus:* ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur: hic munus, hic affectus, hic actus proculdubio erit omnibus, sicut vita æterna communis. *Aug. lib. 22. de Civ. Dei.*

3. Facilius possumus dicere in illa vita æterna, quid ibi non sit, quam quid ibi sit: Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. *Aug. de symb. lib. 5.*

4. Illuc festinate, ubi semper vivatis. Si enim sic amatis istam miseriam, fluidamque vitam, ubi cum tanto labore vivitis, et ubi vix currendo, satagendo, suadendo, suspirando necessariis corporis satisfacitis: quanto magis amare debetis vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebitis? ubi semper summa securitas, summa felicitas, felix libertas, felix beatitudo? ubi implebitur illud, quod dominus dicit in Evangelio: *Erunt homines similes angelis:* et illud: *Fulgebunt justi,* etc. *Aug. de utilitate agenda pœnitent.*